

## Virgile - *Enéide*, VI - vers 305-330

305 Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,  
 matres atque viri defunctaque corpora vita  
 magnanimum<sup>1</sup> heroum, pueri innuptaeque puellae,  
 impositique rogis juvenes ante ora parentum :  
 quam multa<sup>2</sup> in silvis autumni frigore primo  
 310 lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto  
 quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus  
 trans pontum fugat et terris immittit apricis.

Stabant orantes primi transmittere cursum<sup>3</sup>  
 tendebantque manus ripae ulterioris amore.  
 315 Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos,  
 ast alias longe summotos arcet harena.

Aeneas miratus enim motusque tumultu :  
 “Dic, ait, o virgo, quid vult concursus ad amnem ?  
 Quidve petunt animae ? Vel quo discrimine ripas  
 320 hae liquunt, illae remis vada livida verrunt ?”  
 Olli<sup>4</sup> sic breviter fata est longaeva sacerdos :  
 “Anchisa generate, deum certissima proles,  
 Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem,  
 di cuius jurare timent et fallere numen.  
 325 Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est :  
 portitor ille, Charon ; hi, quos vehit unda, sepulti.  
 Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta  
 transportare priusquam sedibus ossa quierunt.  
 Centum errant annos volitantque haec litora circum ;  
 330 tum demum admissi stagna exoptata revisunt.”



Xylogravure illustrant une édition de la *Divine comédie* de Dante (1493)



Charon - Lécythe attique  
(Ve s. av.JC)



Delacroix - *Dante et Virgile aux Enfers* (1822)

<sup>1</sup> = *magnanimum*

<sup>2</sup> *Quam multa... cadunt folia* : aussi nombreuses sont les feuilles qui tombent

<sup>3</sup> *Transmittere* : complément de *orantes* / *transmittere cursum* : effectuer la traversée

<sup>4</sup> *Olli* = *illi*